

1389 febbraio 27, Brescia

Vincenzo *de Cumis*, arciprete di Santa Maria di Travazano diocesi di Piacenza, vicario generale di Tommaso <*Visconti*> vescovo di Brescia, riguardo all'interdetto e alla sentenza di scomunica pronunciata contro i consoli, ufficiali e uomini del Comune di Quinzano, rende noto che, a seguito di motivi ragionevoli, tali provvedimenti si intendono sospesi fino alla metà del successivo mese di marzo.

Brescia - Archivio Vescovile: *Registri Cancellaria*, reg. 2, doc. XLVI, p. 35.

Copia dell'atto, su registro cartaceo, in minuscola cancelleresca.

Ediz.: inedito.

(*trascr.*: T. Casanova, 01.2007)

[p. 35]

XLVI^o ¹

Vincentius de cumis licentiatus in Iure canonico archipresbiter plebis Sancte Marie de trauazano | placentine diocesis Reuerendi in xpisto patris et dominj dominj Thome dei et apostolice sedis gratia Episcopi | brixienis marchionis ducis et comitis Vicarius generalis. Vniuersis et singulis ad quos presentes peruenerunt | salutem in domino. Nouerit Vniuersitas Vestra, quod ecclesiasticum Interdictum Latum et positum | in terram de quinzano {diocesis brixienis}ⁱ necnon excommunicationis sententiam latam in consules officiales et homines | de quinzano per dominum Episcopum prelibatum, ex eo quia ipsi mandatis prefati dominj Episcopi obedire | recusarunt in restituendo Iohannem trappam de quinzano ministrum consortij sancte Marie | de quinzano diocesis brixienis expulsam per predictos homines et commune de quinzano, cum tota eius | familia, ad dictum consortium et domum ipsius consortij, et in reponendo hostia dicte domus | in statum pristinum, nec non nouitatem per eos in dicto consortio illatam dicto ministro reuocare omittendo, ipsum{que}ⁱ ministrum dictum consortium regere et administrare ac pacifice possidere² | permittendo. ex certis rationabilibus causis nos monentibus, hinc ad medium mensem | marcij proxime futuri dumtaxat duximus suspendendam, ipsumque ecclesiasticum Interdictum | et excommunicationis sententiam suspendimus per presentes Vsque ad terminum supradictum. In quorum testimonium presentes | litteras fieri Iussimus et registrari, sigillique nostri munimine roborari. data Brixie | in palatio Venerande Episcopalis curie brixienis anno dominj millesimo trecentesimo octuagesimonono | die Vigesimo septimo mensis februarj duodecima Indictione. |

¹ Di mano del sec. XX. Nel margine sin.: «Ancora l'affare | di Gio Trappa di | Quinzano».

² Nel margine ds.: «munere» [?].